

cūndum aliquam trium figurarum legitimè dispositis infertur  
falsa aliqua, aut ipsius adversarii sententiæ repugnans con-  
clusio. Quæ ipsa conclusio isthòc pacto illata cūm aut falsa  
sit, aut *ἀλοπος* sive absurda, aut repugnans ac prorsus impos-  
sibilis, ex veris autem non nisi verum sequatur, omninò in-  
de colligitur, alterutram minimūm harum propositionum  
pari ratione falsam aut *ἀλοπον* esse. Qualis tamen cūm non  
sit ea, quæ vel apertæ & manifestæ est veritatis, vel ea, quæ ab  
adversario concessa erat, falsam vel minimūm absurdam oportet  
esse alteram illam, quæ thesi ac quæstioni principali con-  
tradictoriè est opposita. Ex eo autem quòd hæc ipsa est falsa,  
vel *ἀλοπος*, colligitur, contradictoriam ejus, quæ erat nostra  
vel ipsissima thesis, vel adhibita propositio, vel etiam conclu-  
sio per nostrum Syllogismum illata, veram aut minimūm  
*ἐνδοξον* esse oportebit. Atque sic obliquâ viâ thesis sive prin-  
cipalis quæstio est probata. Vid. I. Prior. XXIII. §. II. Conf.  
Monlorii Paraphrasis in l. c. pag. 175.

XXIII. Sciendam verò est 1. nos dixisse,  
assumendam esse thesios sive propositionis negatæ con-  
tradictoriam. Quamvis enim eidem interdum con-  
traria opponi possit, si ea universalis fuerit, inter duas  
tamen contrarias non ubique & in quavis materia ve-  
ritas & falsitas æquè exactè dividitur, ceu fit in contradi-  
ctoriis. Siquidem *ἀδύνατον ἄμα καληγορεῖσθαι τὰς ἀντιφάσεις*,  
III. Metaph. IV. vel ut I. Poster. XI. §. 2. offertur: *τὸ μὴ ἐνδέ-  
χασθαι ἄμα φάναι καὶ ἀποφάναι*, aut ut seq. §. 3. dicitur;  
*τὸ ἅπαν φάναι, ἢ ἀποφάναι*. Imò & contradictoriæ propo-  
sitiones ita se habent, ut non solūm sibi repugnent, verūm  
etiam medium non admittant.

XXIV. 2. Diximus, contradictoriam conclusionis,  
aut propositionis, aut thesios conjungi nunc cum propo-  
sitione manifestò vera, nunc cum ejusmodi propo-  
sitione,